

filius , utriusque erat sexūs. Dicuntur etiam *Androgyni*, id est, simul viri et mulieres.

Si fides adhibeatur viris in historiā naturali valdē peritis, nulli unquam exstiterē hermaphroditū propriè dicti, qui organa utriusque sexūs ita habuerint ut generare potuerint sicut viri et concipere tanquam mulieres. Ordinariē nihil aliud sunt quam monstra quae nec generare , nec concipere, nec matrimonium consummare possunt. Manifestum est in isto casu eos matrimonium validē contrahere non posse ; ac proindē parochum qui incapacitatē eorum certò novit , tali matrimonio obsistere teneri.

Si vero alteruter sexus sic in eis prævaleat, ut matrimonium consummare possint, eā tantum conditione ad nuptias admitti debent , quod sexu prævalente duntaxat usuri sint , idque promittant.

Notandum est eos neque ordinationis neque professionis religiosæ esse capaces , quamdiu sexus eorum est dubius. Ita expresse *Sanchez* et multi apud ipsum, l. 7, disp. 106, n° 10.

QUESTIO SECUNDA.

De debito conjugali.

Hanc secundam quæstionem in tria dividemus capita ; 1^{um} erit de petitione et redditione debiti ; 2^{um} de usu conjugii , et 3^{um} de agendi ratione confessarii erga conjugatos.

CAPUT PRIMUM.

DE PETITIONE ET REDDITIONE DEBITI.

Certum est conjuges strictissimè obligari fidem conjugalem sibi mutuò servare : eam quippè sibi solemniter promittunt coram sacerdote eos in nomine Dei, cuius est minister , interrogante, eisque benedicente. Aliundè, ex ipsā matrimonii institutione, vir et mulier sunt duo in carne unā ; unus ergo cum aliâ carne commisceri non potest, quin gravem injuriam comparti suae inferat. Undè quilibet actus venereus cum alienâ personâ, vel circa alienam personam exercitus, ut copula, tactus, oscula, vel hujusmodi actuum desideria, aut voluntaria in illis complacentia, duplēcē habet malitiam in confessione declarandam; unam contra castitatem , alteram vero contra justitiam. Idem dicendum est de mollitie , quae suo modo fidei promissæ adversatur, ut potè abusus corporis cuius altera pars dominium, in ordine ad actus venereos, acquisivit.

His notatis, dividemus præsens caput in tres articulos : in 1º dicemus de actu conjugali in se spectato; in 2º de petitione debiti, et in 3º de redditione debiti.

ARTICULUS PRIMUS.

De actu conjugali in se spectato.

Probavimus in tractatu de Matrimonio, t. 4,

p. 125, *quint. edit.*, adversus plures hæreticos, matrimonium in se spectatum esse bonum et honestum: constat igitur actum conjugalem per se nihil habere mali, et fieri posse meritorium, si nempè ex motivo supernaturali exerceatur, v. g., solo intuitu servandi justitiam comparti sub attestatione Dei promissam, vel religionis causâ, ad obtainendos liberos qui Deo fideliter serviant, vel ad repræsentandam unionem Christi cum Ecclesiâ.

Si qua igitur supersit difficultas, versatur circa copulam ex solâ voluptate, vel solummodò ad vitandam incontinentiam exercitam.

§ I. — De copula ob solam voluptatem exercitâ.

Actum conjugalem ob solam voluptatem exercere est peccatum, sed tantum veniale; Quod sit peccatum, probatur 1º auctoritate Innocenti XI, qui sequentem damnavit propositionem anno 1679: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ ac defectu veniali*; 2º ratione: voluptas enim actui conjugii annexa est tanquam medium ad finem ejus, scilicet ad procreationem prolixis deducens: ergo illicita est si fine suo careat; à fortiori illicitus est actus, si, fine suo frustratus, voluptati subjiciatur; ergo, etc. Quod autem peccatum istud sit duntaxat veniale, sic ostenditur: delectatio in actu bono non est mala in se, sed tantum defectu relationis ad finem legitimum; talis est delectatio in mandatione: defectus autem relationis debite in aliquo casu

particulari, v. g., manducare propter solam delectationem, est solum culpa venialis, juxta omnes; ergo, etc. Ità, post S. Augustinum, S. Ambrosium, S. Thomam, S. Bonaventuram, communissimè theologi, contra alios, qui dicunt peccatum esse mortale, et contra plures qui apud Sanchez, *l. 9, disp. 11, n° 1*, volunt nullum esse peccatum.

§ II. — De actu conjugali ad vitandam incontinentiam exercito.

Petitur an debitum conjugale ex solo motivo vitandæ incontinentiae postulare, sit peccatum et quale peccatum. Multum circa hanc quæstionem scinduntur theologi: duæ præcipue celebrantur eorum opinione, quæ sat clare exponuntur apud Sanchez, *lib. 9, disp. 9*, et apud P. Antoine, editione novâ, q. 5, de obligatione conjugum, *t. 4, p. 296*.

1º Multi dicunt nullum esse peccatum, suam, que opinionem sic probant: 1º Ex I ad Corint., 7, 2.: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum habeat*. Versu 5 addit Apostolus: *Nolite fraudare invicem, nisi forlè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas, propter incontinentiam vestram*; hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; volo enim omnes vos esse sicut me ipsum. Solam incontinentiam hic allegat B. Paulus ad permettendum actum conjugalem: atqui dici non potest Apostolum concedere facultatem exer-

cendi actum peccaminosum ; ergo, etc. 2º auctoritate catechismi concilii Trid., qui 2º parte, cap. 14, § III, declarat tertiam causam ineundi matrimonium esse, post lapsum primi parentis, *ut qui sibi imbecilitatis suæ conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur, de quo ita Apostolus scribit : Propter fornicationem, etc.* 3º Quotidiè Ecclesia benedicit matrimoniis serum qui certè prolem habere nequeunt ; non arbitratur tamen eos matrimonio usuros non esse, nec ullo modo ab actu conjugali avertit ; ergo credit eos ad concupiscentiae sedationem coire posse. 4º Actus in se honestus ad finem honestum relatus, malus esse non potest. Porrò actus conjugii in se honestus est : sedare autem concupiscentiam, vitando incontinentiam, finis honestus est ; ergo, etc. Ita *S. Antoninus, Paludanus, Soto, Sylvester, S. Ligorius, l. 6, n° 882*, et multi alii, tūm apud ipsum, tūm apud *Sanchez, l. 9, disp 9, n° 3.*

2º Alii verò multi tenent actum conjugalem ad vitandam incontinentiam exercere, peccatum esse veniale ; nam, inquiunt : 1º actus ad legitimum finem non relatus, est peccaminosus ; atqui finis actus conjugalis est procreatio prolis ; ergo si actus ille ad alium finem, v. g., ad vitandam incontinentiam exerceatur, fit malus ; 2º motibus libidinis obsequi, sine causâ sufficienter excusante, peccatum est saltem veniale : sed qui matrimonio utitur præcisè ad vitandam incontinentiam, motibus libidinis obsequitur, ut patet, nec habet causam sufficienter eum

excusantem ; nam aliæ ipsi suppetunt viæ stimulos carnis sedandi, scilicet elevatio mentis ad Deum, orationes, jejunia, aliaque mortificationis christianæ opera; 3º incontinentia esset quidem peccatum grave, sed non ideo licitum est libidini sub alio respectu indulgere. Res comparatione melius intelligetur : monachus cui prohibitum est manducare extra monasterium sine licentiâ superioris, parumper servit gulae in monasterio, ne, tentationi foras cedendo, contra regulam et obedientiam superiori debitam peccet ; nonne venialiter peccat ? ergo similiter et qui actum conjugii ad vitandam incontinentiam exercet, libidini obsequitur in re levi, ne, ab illâ victus, in gravia dejiciatur peccata. Ita *S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Fulgentius, S. Thomas, S. Bonaventura, Sylvius, Natalis Alexander, Collet, Billuart, Dens, etc.*

Ad rationes alterius sententiæ respondetur : 1º B. Paulum proprium finem conjugii, vide-licet procreationem prolis, non excludere, sed, è contra, eam supponere, et sensum ipsius verborum esse, vitandam fore incontinentiam per usum matrimonii in ordine ad prolem ; 2º eundem esse sensum catechismi concilii Tridentini;

3º Ecclesiam senes ab ineundo matrimonio non avertere, quia majora inde fortè orientur mala, nempè fornicationes, aliæve incontinentiae.

Unde matrimonium nihilominus in remedium concupiscentiae fuit institutum, sed secundario,

et non nisi per copulam intuitu prolis vel debiti reddendi habitam: idcirco debitum petere non licet ab uxore sterili, seni aut gravidâ, et ipsa nunquam petere posset.

Verumtamen patroni hujus sententiae dicunt peccatum in utroque casu esse duntaxat veniale; nam actus conjugalis in se bonus est, et solummodo defectu relationis ad finem legitimum fit peccaminosus: atqui defectus iste non est materia peccati mortalis. Itaque nihil dicunt sponsis matrimonio rectè utentibus sine intuitu prolis, modo finem hunc non excludant, ne illos à peccato veniali retrahere volentes, ad graviora impellant.

Haec igitur controversia parvi est momenti, quoad praxim, in eis quae spetant confessarios, sed nata est timoratos homines à conjugio removere: etenim facile concipitur Apostolum de conjugatis dixisse: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi (Iad Corint., 7, 28)*, et versus 8 ejusdem capituli, *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.*

Ut probabilius insuper docent theologi actum conjugalem exercere, partim intuitu prolis, partim ob delectationem ei annexam, esse adhuc culpam veniale, quia reipsâ servitur libidini. Ita *Sylvius*, t. 4, p. 663, *Billuart*, *Dens*, etc. Quinimò contendit *Sylvius* admittere delectationem in actu ad prolis generationem relato, eique consentire, esse peccatum veniale; quia talis delectatio, cùm à naturâ corruptâ oriatur, turpis est et rationem obscurat. Verum

Dominicus Soto, *Sanchez* et alii valde probabilius docent ibi nullum adesse peccatum, quia natura delectationem actui adjunxit propter conservationem speciei, sicut sumptioni cibi et potûs ad conservationem individui, ne scilicet illi actus summè necessarii negligenteruntur.

Quæritur an liceat uti matrimonio sanitatis causâ.

R. Certum est non licere matrimonium inire, vel illo contracto uti præcisè ob sanitatem conservandam vel recuperandam; talis quippè finis matrimonio est extraneus: actus igitur conjugii careret fine debito et culpa esset venialis: sic *S. Thomas*, *Suppl.*, q. 93, art. 5, ad 4^{um}, et generatim theologi. At matrimonium contrahere vel illo uti intuitu prolis, secundariò exonerationem naturæ ac sanitatis conservationem sibi proponere, quasi per accidens, nullum est peccatum: tunc enim nihil est inordinatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De petitione debiti.

Conjuges per se non tenentur debitum conjugale petere; nam unusquisque de jure suo cedere potest. Aliquando tamen tenentur per accidens, videlicet, 1^o si, ad præcavendum grave religionis aut reipublicæ damnum, prolis suscepitio necessaria sit: hoc patet; 2^o si unus conjux, et præsertim uxor, quibusdam signis ostendat se cupere remedium, quod præ vere-

cundiā petere non audet, alter eum prævenire debet, et potius est redditio implicitè petenti quām petitio debiti.

Plurimi autem sunt casus in quibus debitum petere non licet, modò sub mortali, modò sub veniali : hinc duplex paragraphus.

§ I. — De iis qui mortaliter peccant debitum exigendo.

Conjux mortaliter peccat, debitum exigendo, in sequentibus casibus :

1º Si castitatem ante vel post matrimonium voverit : vi enim voti ab omni actu venereo ex justitiā non debito abstinere tenetur, et ità statutum est in Decretal., l. 3, tit. 32, c. 12; sed debitum petenti reddere tenetur; nam vel emisit votum post initum matrimonium, et tunc jus compartis suae alienare non potuit; vel ante matrimonium, et nubendo graviter quidem peccavit, sed tamen dedit conjugi quod Deo promiserat, et conjux, votum ignorans, jus in rem acquisiit; ergo jure illo uti potest, et alter illud denegare nequit. *Ita omnes theologi.*

Diximus *votum ignorans*, quia si sponsus votum alterius ante matrimonium novisset, censeretur illius observationi assensisse, nec igitur debitum lícite petere posset absque dispensatione.

Item, si, durante matrimonio, unus sponsorum ex consensu alterius castitatem voveret, et, à fortiori, si ex mutuo consensu eam simul voverent, neuter petere posset.

Meritò judicat *Dens*, t. 7, p. 196, commu-

niter non expedire ut sponsi, præsertim juniores, perpetuam voveant castitatem, *quia decrescit amor conjugalis, remittitur animorum nexus, acriùsque pungit carnis stimulus: unde confessarius tale votum nec suadere, nec permettere debet.*

Ideò igitur, post matrimonii consummationem, ordinarie sufficiens existit ratio postulandi dispensationem hujusmodi voti, scilicet, ne sponsi secum habitantes, temptationibus carnis victi, contra obligationem sibi impositam peccent.

Nota quòd votum, ab uno conjugum, altero insciente, emissum, summo Pontifici non sit reservatum; nam, ex principio, *odia sunt restringenda*, solum votum perfectæ castitatis reservatur: porrò in eo casu perfecta non vovetur castitas, cùm remaneat obligatio debiti reddendi. Similiter votum ante matrimonium emissum non reservatur; nam, per matrimonium subsequens, ex perfecto fit imperfectum. Certum est igitur episcopum ab hujusmodi voto dispensare posse: secūs verò, si votum ab utroque vel ab uno ex consensu alterius emissum fuisset, ut patet.

Votum non nubendi vel sacros ordines suscipiendi, post matrimonium contractum, et votum religionem ingrediendi post matrimonii consummationem emissum, nec redditionem, nec petitionem debiti impediunt, nec igitur in his casibus dispensatione opus est; hæc enim vota non nisi post matrimonii dissolutionem obligant.

Notandum est etiam votum perpetuae castitatis , ante vel post matrimonium emissum , licet redditionem debiti non impedit , per mortem conjugis fieri perfectum , et à solo Pontifice Romano relaxari posse , eo fine ut novum ineatur matrimonium.

Qui post votum non nubendi matrimonium contraxit , mortaliter peccavit , et tamen sine dispensatione debitum reddere et petere potest : sed , matrimonio dissoluto , aliud sine dispensatione inire non valeret .

2º Coniux qui naturale habuit commercium carnale completum cum personâ comparti suæ consanguineâ in primo vel in secundo gradu , à jure petendi debitum excidit , et mortaliter peccaret si illud exigeret , quia affinitatem erga compartem suam contraxit ; hæc affinitas vocatur impedimentum matrimonio validè contracto superveniens .

Ab eo episcopus dispensare per se vel per vicarios suos generales , aut facultatem ab eo dispensandi confessariis tribuere potest .

In nostrâ autem diœcesi , ex speciali concessione DD. de Pidoll , adhuc perseverante , parochi primarii quemlibet diœcesanum super hoc impedimento dispensare possunt , sed in foro pœnitentiae tantum , sive absolutionem sacramentalem impertiant , sive non (*Enchiridion* , p. 9).

Cum impedimentum istud matrimonio superveniens per modum pœnæ fuerit institutum , pars innocens eo non ligatur ; igitur debitum petere potest , et alter illud reddere tenetur .

Si tamen incestus ex ipsius consensu locum habuisset , multi volunt illam eo ipso jus petendi amisisse , quamvis alii id negent , dicentes hanc pœnam in jure canonico formiter expressam non esse .

Certum est mulierem vi oppressam , et virum peccantem cum muliere , quam ignorat esse uxoris sua consanguineam , impedimentum non contrahere ; nam vel nulla est culpa , vel saltem incestus non est formalis : atqui tamen scientia requiritur , *Decretal.* , l. 4 , tit. 13 , cap. 1. Ex eodem capite concluditur ignorantiam prohibitionis Ecclesiae similiter ab impedimento eximere , quia verè non adest scientia ; tutius est tamen , ut notat *Collet* , t. 6 , p. 89 , dispensationem ab episcopo sollicitare .

3º Qui propriam prolem vel prolem compartis suæ , durante matrimonio , baptizat vel in fontibus baptismatis tenet , impedimentum cognitionis spiritualis contrahit , et jus petendi debitum amittit . Ità statutum est in *Decreto* , causâ 30 , q. 1 , can. ad limina , et in *Decretal.* , l. 4 , tit. 11 , c. 2. Nihilominus reddere tenetur conjugi petenti , qui tamen et ipse à jure excidisset , si consentiendo vel exhortando , in causâ fuisse cur alter prolem baptizasset vel tenuisset .

Si , tamen , ex necessitate vel ex ignorantia invincibili , coniux propriam vel compartis suæ prolem baptizasset , impedimentum non induisset ; id sequitur ex capite citato , lib. 4 , *Decretal.* Necessitas autem censemur existere respectu patris , si absit sacerdos , inquit *Pontas* , *Collator Andeg.* , *Collet* , etc. , quamvis alii non

desint laici; nam odia sunt restringenda, et jus de absentia laicorum clare non loquitur; alii verò non pauci dicunt patrem in verà necessitate non versari, si alius quicumque, sive clericus, sive laicus, sive etiam mulier sciens baptizare, adsit; hoc enim significare videtur vox *necessitas*, et ità fert Rituale Romanum: *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in articulo mortis alius non reperitur qui baptizet.* Igitur pars tutior eligenda, et dispensatio in eo casu postulanda esset. Parochus primarius hic, sicut superius, in foro pœnitentiae quemlibet dioecesanum dispensare posset.

Qui nescit prolem quam baptizat vel tenet esse suam vel compartis suæ, jus petendi debitum non amittit, quia nullius culpe est reus: si verò, sciens prolem esse suam vel compartis suæ, prohibitionem Ecclesiæ ignoret, probabilius est adhuc illum poenam non incurgere. Sic sentire videntur *Dens*, t. 7, p. 262, et *S. Ligoriūs*, l. 6, n° 152. Tutius tamen foret dispensationem tunc obtinere.

Non tamen inde sequitur patrem qui, sive ignoranter sive ex necessitate, prolem mulieris sibi non conjunctæ, legitimam aut spuriam, suam vel alterius, baptizat, aut suscipit, impedimentum cum illâ non contrahere, ità ut matrimonium inire possit sine dispensatione: ratio est quia cognatio spiritualis, extra matrimonium contracta, per modum pœnæ non constituitur.

4º Qui certò cognoscit matrimonium suum

esse nullum, v. g., propter impedimentum affinitatis ex commercio illico provenientis, debitum nec petere, nec reddere potest ob quamcumque causam, quia formalem committeret fornicationem; hoc ratione patet, et expresse continetur in *Decretal.*, l. 5, tit. 39, cap. 44.

Si autem matrimonium cum dubio contraxerit, aut, illo contracto, dubium de validitate ejus habuerit, vel advertit dubium istud nullis rationibus esse fundatum, et illud velut scrupulum abjicere debet, atque debitum petere potest; vel agnoscit illud rationibus non spernendis esse innixum, et tunc debitum petere nequit, propter periculum fornicationis, quin prius conscientiam sibi efformaverit certam. Illud verò non dubitanti et petenti reddere debet, quia ex duobus malis, quæ simul devitari non possunt, minus est eligendum: atqui minus est malum periculo fornicationis materialis se exponere, quam periculo injustitiae erga alteram partem. Hæ decisiones in capite juris modo citato reperiuntur.

Supponitur quod justæ non adsint causæ debitum negandi aut redditionem ejus subterfugiendi; nam tunc, cùm periculum injustitiae cessaret, reddi non deberet. Item, si argumenta pro nullitate matrimonii multò validiora forent argumentis pro ejus validitate, debitum reddere non liceret, quia fermè certò committeretur fornicatio. Ità *Dens*, t. 7, p. 199.

Si ambo sponsi de validitate matrimonii dubitarent, neuter debitum petere aut reddere posset: sequitur ex dictis.

§ II. — De iis qui venialiter peccarent debitum exigendo.

1º Nonnulli theologi apud *S. Ligorium* citati, l. 6, n° 915, dicunt, post S. Thomam, accedere ad uxorem tempore menstrui, id est fluxus sanguinis in mulieribus ad concipiendum aptis per singulos menses communiter accidentis, esse peccatum mortale, propter nocumentum proli et prohibitionem divinam in Levitico, 20, 18, contentam: alii verò communissimè docent peccatum esse quidem, propter indecentiam, sed duntaxat veniale; quia coitus hoc tempore exercitus vel minimè vel solummodo leviter nocet proli, et prohibitio in Levitico expressa, utpotè cærimonialis, accedente lege novâ, fuit abrogata. Ità *S. Antoninus*, *Navarrus*, *Concina*, *Pontius*, *Bonacina*, *Paludamus*, *Cajetanus*, *Sylvius*, *Billuart*, *Dens*, etc. Si rationabilis adsit causa petitionem cohonestans, v. g., gravis tentatio et incontinentia in se devitanda, nullum erit peccatum. Sic *Navarrus*, *Paludanus*, *Sanchez*, *Salmanticenses*, *S. Ligorius*.

Hinc si fluxus, qui ordinariè ultra duos aut tres dies non extenditur, esset nimis diuturnus et quasi perpetuus, ut aliquoties contingit, vir sine peccato debitum petere posset, quia gravius sibi foret semper abstinere. Mulier debitum reddens tempore fluxus ordinarii non peccat, juxta omnes: imò reddere tenetur, si vir benignæ monitioni acquiescere nolit, nisi grave pateretur damnum, quale in magnis fluxibus accidere solet.

Quod autem de tempore menstrui dicitur, pari ratione de tempore puerperii, seu fluxus partum sequentis, dicendum est. Vide *S. Ligorium*, l. 6, n° 926.

2º Petere debitum conjugale tempore prægnatricis non est peccatum mortale, secluso abortu periculo: est communissima theologorum opinio: sequitur ex dictis ubi de petitione debiti ad vitandam incontinentiam. Cùm foetus humanus ità secundinis involvatur in matrice, ut semen viri illum tangere nequeat, periculum abortu non facile præsumendum est, nec conjuges importunis interrogationibus circa hoc punctum vexandi sunt.

Sanchez, l. 9, disp. 22, n° 6, et multi theologi apud ipsum, docent ne quidem veniale esse culpam in petitione debiti tempore graviditatis, quia alioquin ab usu conjugii ferè semper abstinendum foret, et ille status, in remedium concupiscentiae institutus, libidinem potius inflammaret quam sedaret, ac laqueus esset. *S. Ligorius* tamen, l. 6, n° 924, cum multis, hanc licentiam limitat ad solum casum in quo periculum incontinentiae existit.

Alii verò non pauci arbitrantur etiam in eo casu petitionem debiti culpa veniali non carere; nam, inquiunt, actus conjugii, licet ad vitandam incontinentiam exercitus, legitimo fine suo est destitutus: itù doctores suprà citati, p. 151.

Nos autem hanc litem terminare non aggredimur. Periculosam conjugatorum vicem miserentes, dicemus tantùm eos in suâ bonâ fide

relinquendos esse, nec à tali usu arcendos, ne in graviora incident.

3º S. Carolus monet conjuges ut in festis solemnibus, in diebus dominicis, in diebus jejuniorum, et in diebus quibus sacram Eucharistiam suscepérunt vel suscepturi sunt, ab usu matrimonii, mutuo consensu, abstineant: sic etiam statuerunt plurima ritualia, et, inter alia, rituale Cenomanense, p. 140. Plures, apud *Sanchez* et *S. Ligorium*, censem petitionem debiti diebus supra dictis, et præsertim quibus suscipienda est sacra Eucharistia, à culpâ veniali immunem non esse, nisi rationabilis causa, ut gravis tentatio, excusat; quia delectatio carnalis mentem multum distrahit, eamque reddit minus aptam spiritualibus, quibus vacandum est in his diebus. Notat tamen Benedictus XIV, in Synodo diocesanâ, l. 5, cap. 1, n° 8, id nunc meri esse consilii, licet olim ab Ecclesiâ sub gravi præscriptum fuerit.

Omnis fatentur, cum S. Francisco Salesio (*Introduction à la Vie dévote*, 2^e partie, chap. 20), conjugem qui die, quâ divinam Eucharistiam suscepit vel suscepturus est, debitum petenti reddit, non peccare; imò illud reddere teneri, si alter precibus acquiescere nolit.

Hac occasione, quærunt theologi an qui pollutionem intra somnum expertus est, sacram Eucharistiam suscipere possit. Respondere solent, cum sancto Gregorio Magno, in epistolâ ad sanctum Augustinum, Angliae apostolum, relatâ in Decreto, part. 1^a, dist. 6, c. 1, distin-

guendo: vel illa pollutio provenit ex superfluitate naturæ aut ex infirmitate, et minimè est culpabilis; vel ex quodam excessu in usu alimenterum, et est peccatum veniale; vel ex præcedenti cogitatione, et mortalis esse potest in causâ: in primo casu, hæc illusio non est timenda; in secundo, à susceptione sacramenti et celebrazione mysterii non impedit, si quædam ratio excusans id suadeat, v. g., circumstantia diei festi aut dominicæ; in tertio autem casu, *propter talem pollutionem à sacro mysterio edie abstinere oportet*, inquit S. Gregorius. Attamen, si pollutio non fuerit mortalis in causâ, vel si sacerdos, verè penitens, ab eâ absolutus fuerit, et aliqua ratio id suadeat, celebrare poterit.

Conjux qui in usu matrimonii exoptat ut proles ex suâ actione non nascatur, peccat, juxta omnes; sed peccatum istud est duntaxat veniale; quia finis præcepti non cadit sub præcepto; itâ *Sanchez*, l. 9, disp. 8, n° 10, et multi alii, contra paucissimos qui volunt peccatum esse mortale. Si quod autem impedimentum voluntariè opponeretur conceptioni, peccatum esset mortale.

ARTICULUS TERTIUS.

De redditione debitum.

Nobis dicendum est, 1º de obligatione reddendi debitum; 2º de causis à redditione debitum excusantibus; 3º de iis qui mortaliter peccarent, debitum reddendo; 4º de iis qui peccatum Onæ